



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ars Semper Gaudendi**

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per  
Adventuales Conciones

Laetitiae Perfectae Artificium In Conscientiae Recta Efformatione  
inuentum, & per Adventuales Conciones expositum ac demonstratum

**Sarasa, Alfonsus Antonius de**

**Antverpiae, 1667**

§. IV. Exponuntur signa ex quibus dijudicari possit an scrupuli sint à  
naturâ, an à Daemone, an à Deo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11367**

42. Juvant denique vt ad Deum magnâ fiduciâ accurrant; eius Sextus fr-  
 auxilium sine quo se nihil quidquam posse confitentur, serîo ma-  
 gnâque animi contentione implorent; Diuini vultûs radium  
 experant quo mentis tenebræ discutiantur, optataque lux redeat,  
 quæ quid agendum sit aperiat, & diu expectatam menti referat  
 serenitatem. Hos ergo aliosque fructus quàm plurimos secum  
 scrupuli, cum non admodum sunt exorbitantes, afferre cum  
 possint & verò sæpè afferant, nullus sanè posthac mirabitur,  
 Deum esse nonnumquam scrupulorum originem, quibus non  
 leuiter sibi amicissimos patitur conflictari: præsertim cum ve-  
2. Cor. 10.  
7. 13. rissimum sit istud Apostoli effatum, *Fidelis autem Deus est, qui  
 non patietur tentari vos supra id quod potestis, sed faciet etiam cum  
 tentatione prouentum, vt possitis sustinere.*

§. IV.

*Exponuntur signa ex quibus diiudicari possit an scrupuli sint à  
 naturâ, an à Dæmone, an à Deo.*

43. **T**Am variæ itaque cum sint scrupulorum origines, operæ pre-  
 tium erit signa quædam in medium producere, per quæ, à quâ  
 causâ singuli proueniant, haud difficile erit diiudicare. Et pri-  
 mô quidem istud indubitatum est, si quando à Deo ipso, aut  
 etiam per Angelum, animæ prorsus perpurgandæ immittuntur,  
 non longo eas durare tempore; & tandem tempestatem omnem  
 summâ malaciâ, mentisque serenitate placidissimâ commutari. Scrupuli  
 qui à Deo  
 sunt, non  
 diu durant,  
 & cum  
 magnâ a-  
 nimi tran-  
 quillitate  
 desinunt.  
 Contigit id certè D. Ignatio, primis in melius commutatæ vitæ  
Ribadin.  
in vita S.  
Ignat. l. 1.  
c. 6. diebus, & in ipsâ stadii decurrendi januâ. Manresanam spelun-  
 cam vix subierat, austerissimæ vitæ prima positurus tyrocinia: &  
 ecce quasi agmine facto, in hominem nihil minùs cogitantem  
 infesti vndique incurrunt scrupuli. Tota ei antea vitæ scæna  
 ob oculos proponitur, Exomologesi quantumuis seriæ & accu-  
 ratæ, quam in Serrato Monte instituerat, non acquiescit. Sin-  
 gula in memoriam vocat, expendit, trutinat; & dum attendit sin-  
 gula, ad omnia expauescit. Sic totæ transiguntur noctes, & dies,  
 labore improbo, timore prorsus insuperabili, fructu nullo. Con-  
 ciderat deuictus Heros, nisi Diuinus fauor, pectus intrepidum  
 F f Patet in S.  
Ignatio. hacte-



hactenus; nouâ virtute obarmasset. Pertinaci octo dierum ab omni cibo potuque abſtinentiâ, importunos hoſtes expugnare dum nititur, nequidquam nititur. Obedientia ſola victoriam dedit. Juſſus tam inauditum jeiunium ſoluere, quod octo dies jam tenuerat; aliqua tunc ei oborta eſt lux & tranquillitas. Sed breui ſuborta iterum tempeſtas aded viri pectus oppreſſit, vt jam naufragium facturus, & de conſtantiâ arreptâ vitæ deiiciendus planè ſibi videretur. Cùm ecce tyronis ſui labores miſeratus Deus, virtute viri ſatis ſuperque comprobatâ, illicò diſcuſſa ſunt infeſtæ tenebræ; Diuina menti lux rediit; fanaticos agnouit hoſtes; metus omnis abiit; & ſubitò ea oborta eſt Ignatio ſerenitas, quæ toto eum vitæ deinceps tempore comitata, in tantum Heroëm euexit, præclariffimosque docuit ab infernis hoſtibus triumphos reportare. Imperauit nimirum, imperare qui potuit, *ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna.*

Matt. 8.  
v. 28.

Exponitur  
id ratione.  
Deus exercet  
animâ  
vt eam  
purget à  
vitijs.

Sic agit Deus. Quos exercet ſcrupulis, non diu exercet, ne fuccumbant: nec ſine pacis liquidiffimæ beato fructu; ne fruſtranea fuerit, tam dura amici optimi exercitatio. Etenim cùm id ſolum in obſcurendis menti ſcrupulis, propoſitum ſibi habeat Deus, à priſtinis peccatorum reliquijs animum perpurgare, & maiorem, vt diximus, peccati committendi horrorem incutere; hæc cùm ſufficienter eſt aſſecutus, retrahit tandem & manum & ſcrupulos, virtutis inducendæ tempeſtiuam quidem, ſed tamen temporalia tantum inſtrumenta. Hunc eſſe ſibi familiarem agendi tenorem, per Iſaiam teſtatur Deus ipſe. *Sanctum, inquit Propheta, nomen eius, in excelſo eſt in ſancto habitans, & cum contrito & humili ſpiritu, vt viuificet ſpiritum humilium, & viuificet cor contritorum. Non enim in ſempiternum litigabo, neque uſque ad finem irascar; quia ſpiritus à facie meâ egredietur, & flatus ego faciam,* quibus nimirum inania phantaſmata diſſipentur penitus, atque in auras abeant. Si enim animæ munditiem accurare volebat Deus, vt quid ultra litiget, Conſcientiamque extimulet ſi penitus eſt perpurgata? vt quid medicinam adhibeat, vbi ſcrupulorum amaroribus, morbi ſuperatæ ſunt reliquiæ, & totus ſibi animi conſtat vigor? Fruſtranea ſanè hæc eſſent poſthac adminicula, ſine fructu medicinæ, adeoque intempeſtiuæ: Deus autem nihil agit importunè, aut quod ſit præter rem. Quid ergo? audi eodem loco apud Prophetam, inſtituti ſui rationem reddentem

44.

Iſa. 57. v.  
15. & ſeqq.

Deum.



Ibid. v. 18. Deum. *Vias eius, inquit, vidi, & sanavi eum, & reddidi consolationes ipsi & lugentibus eius. Creavi fructum labiorum pacem; pacem ei qui longè est, & qui propè, dixit Dominus, & sanavi eum. Impij autem quasi mare feruens, quod quiescere non potest; & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum: non est pax impijs dicit Dominus.* En vt pacem sano afferat, consolationesque ex ipsis quos animo admouebat angoribus, medicinâ feliciter peractâ, educeat Deus. *Reddidi consolationes, inquit, nimirum quia sanavi eum;*

45.

In alia omnia abit Dæmon. Cui cum nihil adeo præfixum sit, quàm vt quos ad scelestam vitam persuasionibus se videt non posse pertrahere, eos angoribus vrat scrupulisque perturbet; quò magis sibi succedere videt artes suas, eò illis inhæret præfractius, pluresque obuoluit scrupulos. Vexat enim, tantum vt vexet, non verò vt mentem curet. Hinc si quem stimulis eo perurserit, vt de peractis bonâ fide Confessionibus dubitare incipiat, nouamque de antea vitâ exomologesim ad sedandos animi cruciatus instituat; tum verò nouos subiciet animo sic perturbato scrupulos; & non vnâ tantum sed & centenas exomologeses suadebit, & facile persuadebit deceptor improbus; & quidem non vni tantum viro, sed varijs Confessarijs exponendas. Sic trahitur per diuersa subfellia infelix anima; vbi que luctus suos deponit, vbi que ingemit, & nusquam solarii quidquam adipiscitur. Euidens id autem est, stimulos eiusmodi, quantumcumque videantur ad meliorâ compellere, à Deo non submitti; quandoquidem etiam dum scrupulis mentem exerceat & vrit Deus, non alium sibi scopum præfixum habeat, quàm plenam animo sic turbato inducere serenitatem. *Ego enim scio cogitationes, quas ego cogito super vos, ait Dominus, cogitationes pacis & non afflictiones, ut dem vobis finem & patientiam.* Itaque cogitationes illæ quæ nusquam finem habent, & numquam terminantur, agglomerantur quintidè indies, & exurgunt quasi mare feruens quod quiescere non potest; & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum, neque pacem tantoperè quæsitam, post summam animi defatigationem afferunt; manifestum est à Deo non existere. An autem à deprauatis humoribus, an à ipso Dæmone primam trahant originem, id quidem ad rem nostram parum facit, dummodò à Deo non esse constet. Vndecumque demum ducant exordium,

Diabolus  
vexat ho-  
mines vt  
eos defatigat.

Ierem. 29.  
v. 11.

Iſaias sup.

Sumit

F f 2

æqua-



æquale afferunt damnum animæ: cùm istud certum sit, neque quidquam sine humorum intemperie in animam per scrupulos Dæmonem agere; neque etiam quidquam in cerebro humano per atram bilem, aliosue exorbitantes humores turbari, quin illicò rei benè gerendæ spe, accurrat impostor acutissimus, suasque partes agat callidissimè.

*Quandoz  
scrupuli in-  
cipiant à  
naturalis  
intemperie  
corporis.*

*Indicia  
duo.*

Quòd si tamen, sine vllâ prorsus præcedente causâ quæ menti dolorem aut perturbationem possit incutere, angi cor, obduci vaporibus cerebrum, & horrore subito cortipi tibi membra per sentiscis; atque exinde scrupulorum si tempestas mentem occupat, non ex vano dices, tumultum omnem animique perturbationem, ex atrâ bile faculentisue humoribus, qui cerebrum subeunt, anterioremque (vbi imaginandi facultas residet) cellulam inficiunt, ducere initium; eumque esse naturæ morbum, ac cerebri infecti vitium.

Et hoc quidem longè certius tibi persuadebis, si non vnâ ex parte exsurgant scrupuli, sed vndique quasi agmine facto profusiliant. Si, inquam, in qualibet quam aggredieris actione, timor obrepat; adeò vt tam angaris si comedas quàm si cibo abstineas; peccaturumque te credas & cùm loqueris & cùm taces; & cùm te domi contines & cùm eâ egredieris; & cùm vigilas & cùm concedis cubitum. Sanè si quæuis materia metus faciat, cerebri malè feriat id vitium crede. Atriori enim sanguine aut bile, non prima tantùm, sed & secunda correpta est cellula, in quâ æstimatediam animæ vim residere, cum Galeno, docent Medici. Quæ cùm semel è loco suo & statu conueniente est deturbata, nusquam pedem figit emota mens, & quasi cæca oberrat vndique, nullumque de rebus actis agendisue, sanum quod fit, fert iudicium. Hanc autem æstimatediam potentiam euagationem facilè, altiori, quodque à phantasmatis non dependet, mentis iudicio, quiuis discernet, cui tota necdum euerfa est mens.

*Indicia  
quatuor  
vnde dis-  
cernas an  
scrupuli  
veniant à  
Dæmone.*

*Indicium  
primum.*

Quòd si tamen etiam accuratiùs dignoscere libeat, quinam ab ipso Dæmone immissi sint scrupuli; aut si non immissi, quando nam saltem iis sese inserat improbus veterator, id sanè jam erit oppidò manifestum. Et quidem, nullum de hâc re dubium relinquitur: *Primo* si angoribus illis tandem deturbari de constantiâ animi incipis; si ab arrepto vitæ frugalioris studio, præ nimia



nimiã mentis fatigatione te sensim auocari; & præcipuè, quod Diabolicum est maximè, si de salutis assequendæ spe & fiduciã deiici, & tamquam de re desperatã repelli te quasi per vim persentifcis. Vafra quidem sunt hæc Dæmonis artificia; sed nimis euidentiã, quàm vt auctorem tam funestum celare nos possint. Detexit has technas jam dudum, cælesti lucè perfusus Ignatius.

S. Ign. in  
secundis  
reg. de  
discern.  
Spirituib.  
R. 5.

Vnde istud est eius præclarissimum effatum. *Sin autem per discursum mentis aliquid offertur vel sequitur, quod ex se malum sit, vel auocet à malo; vel ad minùs bonum impellat quàm anima priùs querendo sequi decreuisset; vel animam ipsam defatiget, angat ac perturbet, sublatã quæ priùs aderat quiete, pæce, & tranquillitate; euidens tunc erit indicium, auctorem esse cogitationum eiusmodi spiritum malignum, utpotè utilitati nostræ semper aduersantem.* En vt de auctore pessimo minimè dubitet, in hãc palestrã exercitissimus athleta. Plurima sanè possent exinde confectaria deriuari, quæ breuitatis causã prætereo. Istud tamen dissimulare non possum, quod ex hãc Sanctissimi viri sententiã, pateat

49.

*Secundò*, minimè etiam dubitandum esse, à Diabolo ingestos esse scrupulos, quoties illi sanctissimis actionibus, intercurrent, præsertim si iis aliàs non admodum perturbaris. Contingit enim, idque sæpissimè, vt quis dies integros placidè agat, nullo peccati metu rebus quotidianis intersit; cùm verò ad sacram Synaxim aut exomologesim animum seriò applicat, tum verò percelli se sentit, horrore concuti, & ab ipsã sacrã mensã nescio, quo metu deturbari. Euidens est illius astu tempestatem hanc excitari, qui actionem tam sanctam prorsus optaret conuellere; aut si non potest, saltem religionis actum insanis angoribus interturbare. Semper enim vt rectè D. Ignatius, *utilitati nostræ aduersatur.*

*Secundũ.*

50.

*Tertiò* ab eodem capite scias diffluere scrupulos, si in vnã tantùm peccati specie metus illos angoresque percipias, neque ad alia tantoperè exhorrescis. Etenim cùm omnia prorsus scelera auerfetur Deus, certè quæ ab ipso immittuntur animæ cogitationes, bellum cuicumque peccato inferent, neque mentem sibi dilectam patietur Deus vllã criminis sibi exosi specie irretiri. Et tunc quidem

*Tertium.*

51.

*Quartò* euidentiùs id erit indicium, si ad cætera projectus sis, neque quidquam pensi habeas, quantum dissolutis tuis moribus offendatur Deus; interim tamen circa minutias quasdam exiles-

*Quartum.*



Aliqui  
scrupulosi  
sunt in ve-  
bis exiguis,  
& in aliis  
sunt valde  
dissoluti.

que res tibi mens hæreat, peccandi periculo prorsus perterrita & suspensa. Ridendus planè est hic angor, vti importunus, ita & intempestivus admodum. Certè de facietiarum genere mihi semper visus est Samaritanæ mulierculæ apud D. Joannem scrupulus.angebatur enim verò quòd communionem sermonis cum Christo Iudæo haberet, & de committendo scelere admodum sollicita: *Quomodo, inquit, tu Judæus cum sis bibere à me possis, quæ sum mulier Samaritana? non enim conturitur Judæi Samaritanis.* Ingens profectò facinus, enorme scelus! Interim quæ aquam Judæo detractat porrigere, ne sese contamineat scelere, non erubescerat corpus prostituere per summam infamiam, vetitisque & fortè non vnius scortatoris amplexibus inherere. Ita sæpe fit; reperiuntur eiusmodi homines non pauci, quibus preces solitas non absoluisse, lustrali aquâ se non abluisse, micam panis die jejunii glutuisse, summa sit religio, variisque, id si fecerint, virgentur animi stimulis. Interim per summam impudentiam quælibet effuriunt, arrodunt omnia, dissensiones serunt, foment odia, Dei hominumque apud eos est contemptus par. Acum die Dominicâ vestibus admouisse, summum ormen est; nullum verò, famam innocentis hominis linguâ conficere. Intolerandum scelus est, carnem die jejunii primis labris delibasse, atque id illi- cò exomologesi est expiandum, & humanas verò carnes dentibus conuellerè, dilacerare inquam amicitia leges, aliena facta in pessimam interpretari patrem, nihil non admordere, id verò tranquillo prorsus sit animo, neque vllis Conscientia stimulis perurgetur. Apage sis cum eiusmodi scrupulis aut potius ineptiis, quibus vel ipsi Heraclito risum moueas, & lacrimas Democrito. Quis enim inæqualitatem hanc non videat, Dæmonisque ridiculas artes non internoscat, quibus interim ridiculum in modum & tamen deplo- randum admodum, miserè detineris & illuderis?

Ioan. 4.  
v. 9.